



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio V. Quænam particularia remedia particularibus scrupulis sint  
adhibenda?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

sciet dum peccata fatenda numeravit, non recorde-  
tur, an illud numeraverit. Neque enim est possi-  
bile in confessionibus diu protractis, memoriam  
omnium peccatorum in singulari habere; sed satis  
erit recordari, se attentâ sui peccati consuetudine,  
semper explicare numerum, qui sibi verisimilior  
videbatur.

60. Advertes cum P. Vasq. 1. 2. d. 67. fin. P. Sanch. cit. 86.  
hujusmodi remedia deseruire scrupulosis, quibus  
conscientiâ cura est; sunt enim aliqui nimis scrupulis  
vexati, qui de peccatis in posterum vitandis  
non curant, sed eis effrânatè vacant, his autem  
difficillimo negotio potest remedium adhiberi.  
Undè his, ait P. Vasq. cit. præsentaneum remedium  
erit, si frequenter peccata sua expient, ut vel sic ad  
sanam mentem reducti, ut prædictis remediis tutò  
possint. Et quamvis id minimè præstent, sed in futu-  
ris peccatis cavendis minùs cauti sint, adhuc pos-  
sunt in ea materia, in quâ constat scrupulis vexari,  
eorum dubia, & scrupuli in meliorem partem  
declarari.

61. Addit tamen P. Sanchez cit. hos rarissimè scrupulis  
vexari circa crimina præsentia, in quâ effrânatè  
feruntur; cum illis apertè conscientiam: sed aut  
circa præteritorum confessionem, an scilicet ea con-  
fessi fuerint: aut circa res fidei, & blasphemiarum, cir-  
ca quas homines deperditi scrupulis vexantur: aut  
circa vota à se emissâ, credentes passim, & leviter  
se votis astringere. Si primum, & Confessor nove-  
rit, eos mediocri diligentia adhibita fassos integrè  
fuisse, potest illis suadere, ne præteritum peccatum  
confiteantur, nisi certi sint omninò illud minimè  
fuisse confessum. Si secundum, & tertium, potest  
Confessor uti remediis suprapositis, & infra po-  
nendis: Pro quibus sit:

## SECTIO V.

Quanam particularia remedia par-  
ticularibus scrupulis sint  
adhibenda?

62. **A**DVERTES, sicut particulares corporis  
infirmittates particularia habent remedia,  
& eis generalia non sufficiunt propter  
particulares earum circumstantias, ita  
in spiritualibus contingere; idèdque oportere spe-  
ciales modos medendi aliquibus specialibus scrupulis  
inquirere, & inculcare, de quibus per sequentes  
difficultates sermo erit: Sit igitur.

63. **D**ifficultas 1. Quid sit consulendum scrupulosis,  
qui confessiones repetunt? Respondeo ex jam di-  
ctis. hujusmodi scrupulosos, an scilicet sint, aut non  
sint confessi præterita peccata, consulendum esse, eos  
oportere contra hujusmodi scrupulum agere, ces-  
sando à reiteratione confessionis, etiam non de-  
posito iudicio, quod confessi non sint. Ita P. San-  
chez lib. 1. Decal. cap. 10. num. 85. Zerol. Pefant.  
P. Granad. 1. 2. tr. 12. d. 5. num. 8. P. Laym. tomo 1.  
tr. 1. cap. 6. Joan. Sanh. d. 41. in Select. n. 14. & alii  
supra cit. num. 11. Probat, quia ut scrupulosi pos-  
sint licitè cessare à reiteratione confessionis, sufficit,  
ut cognoscant, se solitos esse semper conscientiam  
examinare juxta moralem possibilitatem; & aliàs  
scire sacrilegium committi, si datâ operâ peccatum  
mortale clavibus non subiciatur, quin necessarium  
sit expressè recordari, ea fuisse confessâ; cum enim  
id in confessionibus adèd protractis sit impossibile,  
humaniter teneretur homo ad impossibile; essetq;

Tom. 23

ei necessarium millies, & ultra confiteri eadem pec-  
cata; ergo &c.

64. Confirmatur primò, quia si quis deberet, aut  
vellet certò scire, se esse sufficienter, & ritè confes-  
sum, etiam sciret, gratiam sacramentalem esse sibi  
exhibitam; siquidem omni ritè confessio con-  
fertur gratia; hoc autem scire absque Dei revela-  
tione est impossibile juxta illud Eccles. 9. *Nescit ho-  
mo, utrum amore, an odio dignus sit*; ergo etiam im-  
possibile erit illud, ex quo sequitur. Secundò, quia  
si aliquid occurrat scrupuloso non explicatum in  
Confessione, poterit sibi persuadere jam fuisse ex-  
plicatum; ergo multò magis necessaria erit hujus-  
modi persuasio ad pacandam suam conscientiam, si  
sibi occurrat aliquid non fuisse confessum; poterit  
enim sibi persuadere, jam fuisse confessum.

65. Advertes hîc, scrupulosis minùs necessarium esse  
scrupulis intendere, & attendere circa mortalia gra-  
viora, an sint vel non sint confessâ, quàm circa leviora;  
quidem cum magis gravia magis deformia sint, sem-  
per oculis obliuntur; sicque impossibile erit eor-  
um in Confessione oblivisci; cum tamen leviora,  
cum conscientiam non ita pungant, potiùs oblivioni  
tradi contingere possit; magis enim vulnus magnum,  
quàm exiguum solet à somno vulneratum excitare.

66. **D**ifficultas 2. Quid consulendum scrupuloso re-  
confitenti sua venialia? Respondeo, remedium esse,  
ne nimis curet hæc peccata confiteri, præsertim in  
speciali, nisi aliqua, quæ videantur graviora, reliqua  
autem simul, & in generali breviter & succinctè,  
ita ponderans suam negligentiam, ut fiducialiter ad  
misericordiam Dei infinitam recurrat; sciens in hoc  
statu naturæ lapsæ esse moraliter impossibile absque  
speciali auxilio gratiæ vitare omnia venialia, dicente  
ipsâ Dei Sapientiâ Prov. 24. 16. *Septies cadet justus.*  
Quæ etiam alibi Eccles. 7. cõmendat: *Noli esse nimis  
justus.* Accedit, cum non obligemur venialia con-  
fiteri, vanum sanè est, nimia sollicitudine ea om-  
nia velle confiteri; præsertim cum tanta inquietudi-  
ne Conscientiæ, & detrimento salutis, sive corpo-  
ralis, sive spiritualis.

67. **D**ifficultas 3. Quid consulendum scrupuloso, qui  
scrupulum habet de dolore sufficienti ad Sacramen-  
tum Pœnitentiæ; aliorumvè Sacramentorum? Im-  
primis scire debet scrupulosus, non esse necessarium,  
quod dolor sit sensibilis, & formalis, sed sufficere  
virtualem etiam non sensibilem. Imò multos doce-  
re, satis esse, quod dolorem habuerit vespere, ut  
possit sequenti die confiteri: & aliquos, sufficere,  
quod dolor semel habitus non fuerit retractatus, et-  
iam si jam transierit mensis, imò & annus, ex quo  
habuerit dolorem de peccatis; dummodò Confes-  
sio fiat virtute talis doloris, id est, dummodò tem-  
pore Confessionis faciendæ detur memoria illius  
doloris priùs eliciti, & homo ex vi illius ad talem  
Confessionem faciendam moveatur, ut docent mul-  
ti apud P. Bard. discept. 7. cap. 6. §. 2.

68. Et ratio est, quia tunc dolor censetur moraliter  
perseverare; sicque scrupulosi possunt, Conscien-  
tiam suam prudenter deponentes, existimare, se  
habuisse dolorem sufficientem in Confessionibus  
præteritis; siquidem pro illis stat præsumptio, qua-  
tenùs voluerunt confiteri, scientes esse necessarium  
dolorem, ut vitaretur sacrilegium, quod ipsi nole-  
bant committere; ac proindè præsumuntur habuisse  
dolorem sufficientem ad faciendam Confessionem  
validam, & formatam.

69. **D**ifficultas 4. Quid consulendum contra impor-  
tunas cogitationes infidelitatis, blasphemiarum,  
& spurcitiarum circa res sacras, & divinas? Im-  
primis hos infidelitatis, & blasphemia scrupulos  
minùs

Hh 2

minùs

minus, quam aliarum rerum metuere, & magis contemnere opus est; siquidem in id prolabi magis distamus, in quod incidere magis timemus: nam si in carnalia incidere formidantes, licet tententur, non idè prolapso esse iudicamus, nisi assensum præstiterint, cum tamen hæc sint sensui magis amica, & ad suam spurcitiā concupiscendam magis inducant; à fortiori fas erit iudicare, tentatos infidelitate, & blasphemis non ob id in eas prolabi, cum illas potius abhorreere, quam velle præsumi rationabiliter potest.

70. His igitur scrupulosis quid respondendum sit, docuit Christus Dominus Matth. 8. *Quid timidi estis modica fidei?* Non quidem divinæ, & supernaturalis, siquidem hujus dubitatio corrumpit totam fidem, & sic dubitans non dicitur modicæ, sed nullus fidei, & planè infidelis, ut docet P. Soar. d. 1. de Fide sect. 1. n. 5. sed loquitur Christus Dominus de trepidatione in fiducia, quasi dicat: *Quid timidi estis modica fidei?* id est, *modica fiducia*, sive confidentiæ. Et hoc etiam sensu, cum Petrus dixisset: *Domine saluum me fac*: Matth. 14. illum reprehendit Christus Dominus ibidem: *Modica fidei, quare dubitasti?* id est, *modica fiducia*.

71. Hos igitur scrupulis vexatos exprobrare expediet tanquam parum fidentes, potentiam divinam præstò esse omnibus nolentibus fidem deserere; eosque monere, tantùm abesse, ut de divinis rebus dubitationem vel minimam cõceperint, quod potius radicandæ magis in ipsis Fidei vehemens præsumptio sit habenda, dum scrupulorum ventis, & anxietatibus mentis navicula circumfertur, juxta illud D. Hieron. in Matt. 14. dum de D Petro saluum fieri postulanti sic ait: *Ardebat, inquit, animi Fides, sed humana fragilitas in profundum traherebat. Paululum ergo relinquitur tentationi, ut augetur fides, & intelligat se, non facilitate postulacionis, sed potentia Domini conservatum.*

72. Præterea monendi sunt hujusmodi scrupulosi, communis hostis morem esse illos persequi, quos timidos, (ubi timendum non est,) conspicit; contemptores autem suæ versutiæ, tanquam insuperabiles quos fugere; sicque illum, suasque suggestiones contemnendas esse, ut victoriam consequantur, quod expertam fuisse testatur S. Theresia per hæc verba cap. 31. vitæ suæ: *Sepan, dize, que cada vez que se nos da poco de los Demonios, quedam con menos fuerça, y el alma muy mas Señora.* Idemque de illa testatur ejus Confessarius, ut refert Lopez in vita ejusdem Sanctæ fol. 170. *A la dado dios un tan fuerre, y valerozo animo, que espanta: folia ser temeroza, ahora atropella à todos los Demonios. Es muy fuerça de melindres, y niñerías de mugeres, muy sin escrupulosos rectissima.*

73. Addant deindè Confessarii, ut eos convincant, impossibile esse absque deliberatâ voluntate fidem amittere: neque stare posse fidem amittere, & de ejus amissione dolere. Imò gratis dato, quod de Fide dubitassent, remedium nè erit ad illam recuperandam turbati, & inquietum cor semper habere? Sibi igitur visum peccatum Confessario narrent, illiusque iudicio omnia relinquunt, & quod ipse decreverit sequantur, fidentes maximè Misericordiam Dei peccatoribus præsto esse, & adeste.

74. Advertes hîc primò, hujusmodi scrupulizantes in rebus Fidei aliquando molestari, quod non elicuerint actum fidei toties, quoties illis offertur cogitatio credendorum; cum enim existiment ad id teneri, opinantur nunquam satis hoc præceptum adimplere, quod eis angustia, labor, & turbatio est. Monendi igitur sunt ita scrupulizantes, præceptum

fidei non obligare per se, nisi tempore usûs rationis adveniens, vel postea, si tunc non est impletum, ita ut actu fidei semel elicitò, raro, aut fortasse nunquam occurrat obligatio elicendi illum. Ita P. Soar. d. 13. de Fide, sect. 5. n. 6. Aragon. 2. 2. q. 4. art. 6. P. Sanch. lib. 2. decal. cap. 1. n. 3. P. Torrez, de Fide d. 35. dub. 2. P. Valent. 2. 2. q. 2. punct. 5. sine, P. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 7. q. 6. Et quamvis ratione gravis tentationis contra fidem, obliget per se præceptum ad elicendum actum Fidei, ut docent P. Valent. P. Azor. P. Sanch. cit. Ledesm. tom. 2. sum. tr. 1. cap. 8. conclus. 8. & alii: hoc tamen non extenditur ad scrupulizantes in Fide: tum quia hi in Fide firmi sunt, & scrupulorum anxietas cogit eos existimare se infirmos in fide, ejusve amittendæ periculum pati: tum etiam, quia scrupulis contra Fidem molestari, non est gravem tentationem contra Fidem pati, sed gravem stultitiam habere, & ægritudine laborare. Undè satis erit si Confessarius ita scrupulizantibus præcipiat, quod pro tunc actum Fidei eliciant; sicque obligatio præcepti adimplebitur.

Advertes secundò, hujusmodi scrupulosos ab scrupulis contra Fidem, (sicut & contra alias virtutes,) se defendere actionibus externis, nempe moventes caput, aut manus, os retorquentes, aliosque motus ridiculos efficiendo, quasi dicant: Non confentio, non confentio: quæ sanè risûs, & miserationis digna sunt. Oportet igitur, ut ab his abstinento scrupulos contemnant, scientes, quod ipsa attentio ad scrupulam vitandum, scrupulum parit, ut ait Caiet. in sum. verb. *Scrupulus*. Rodrig. tom. 2. sum. cap. 52. n. 1. & tom. 3. qq. Regul. q. 66. art. 3. Undè sicut non miraretur, nec anxii redderentur, si hominem insanum viderent blasphemantem, aut contra Fidem loquentem, ita mirari non debent, si mentem suam scrupulis insanam viderint erga infidelitatem, aut blasphemias ferri.

Advertes tertio, ita scrupulizantes solere etiam maximè turbari, ac nimis affligi, quod tam nefanda sint eis ab spiritu infidelitatis, vel blasphemiz objecta, & sint coacti illa omnia Confessario aperire, quod sanè eos maximè pudet. Sed rectius quidem se gererent, si eos puderet, quod insani reddantur propriâ voluntate, & ob id illis videatur non expedire viro sanæ mentis insaniam suam detegere: Undè si quando Confessarius velit illa semel, vel iterum audire, quatenus iudicat ad curationem convenire, suadeat, ea non excipere jure confessionis, cum ad confessionem non sint adducenda talia deliria, sed jure amici consulentis, quæ deinceps agenda expediant.

## SECTIO VI.

### Deciduntur alie difficultates circa eandem materiam.

**D**IFFICULTAS 5. Quid consulendum scrupulosis, quos affligit timor, an scilicet consenserint malis suggestionibus, præsertim in materia luxuriæ? Respondeo inprimis, hujusmodi scrupulosos, ut exuant hunc timorem, ultimos esse remediis supra assignatis. Deindè sciant, quod nemo peccat mortaliter, nisi volendo deliberatè rem graviter malam expressè cogitant sub ratione gravis malitiæ moralis, id est, offendentis Deum; siquidem, ut docet D. Bern. *Non nocet sensus, ubi non est consensus.* Quod ut melius intelligas.

Advertes

+ vide propositionem 19. man. ab Innoc. 11. mo. de consensu